

Resp. est *petitio principii*, quia major est incerta, dubia, contingens, falsa, sine scripturâ.

Nos potius contra ἀγνιστικόν, vel καθαρ-  
μέριον πῦρ ita:

2. Quaecunq; doctrina 1. per nullum idoneum probationis medium innotescit: 2. Adversatur sacerdotali officio Christi: 3. Applicationi meriti Christi: 4. Vera peccatorum expiationi: 5. Ecclesiastico cultui & pietatî renatorum: 6. Statui hominum viventium: 7. Statui hominum mortuorum: 8. Exemplis manifestis evertitur, illa non est necessarium Christianæ fidei dogma, sed impium, vereq; Antichristianum figmentum.

1. Purgatorium per nullum idoneum probationis medium innotescit.

Sex media adducuntur: 1. Scriptura: 2. Concilia. 3. Patrum scripta. 4. Ecclesiæ definitiones. 5. animarum apparitiones. 7. Aliæ rationes, vid. Bellarm. l. 1. de Purgat. c. 3. seq.

Fundamenta hæc maximam partem insufficientia minusq; idonea credimus, quæ fidei dogma stabiliant, aut fundare queant.